Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1239
Quelle:
Copyright:

et Sec. XV. frequentius typis prodivit, quorum initium *fol.* 171. p. 2. quaerendum est, et ita habet: *Apud hebreos Nisan dicitur Aprilis* &c. Abrumpuntur *fol.* 170. p. 2. in his verbis: *ouant et ouans non est plus in usu.* Puta: non reperitur in Scriptoribus latinis, qui ad nos pervenerunt, ex quo capite Grammatici quidam recentiores pluribus *Verbis defectivis* torserunt Pueros, quasi vero tota lingua Romana ad verbulum in superstitibus illis Scriptoribus contineretur.

IV. *fol.* 170. p. 2. Aliud Fragmentum hoc initio: *Ad preces Studencium dum essem lector in monte pessulano et ut fratres pauperes sub compendio sententias haberent librorum Sententiarum Ego frater Johannes de fonte Ordinis minorum fratrum per modum conclusionum Sententialiter distinctionem quamlibet eiusdem voluminis recollegi.* Ut jam supra. Verum post 3. *columnas* Librarius retraxit manum de tabula. Notat Opus istud *Waddingus* in *Bibl. Ord.* nil vero de Autore, nisi *Gallum* fuisse.

V. *fol.* 172. finem faciunt Quaestiones lectae e *Quodlibetis Henrici Bonicollii* (Goethals) dicti *de Gandavo*, qui *Parisiis* nomen *Doctoris Solemnis* emeruit, et anno 1293. *Tornaci* decessit. Ordo nullus servatus est; incipiunt enim a *Quaest.* 13. VI. *Quodl. Vtrum status virginalis sit supra coniugalem*, et mox sequitur *Quaestio* 29. *Quodl.* XII. Impressa sunt, teste *Foppenio* in *Bibl. Belg. Quodlibeta Henrici Venet.* 1518. et 1613. f. sed et alia ab eodem *Mss.* memorantur, quae, an ab Impressis distincta sint, nescio.

DXLIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 313
Folior. 237. 4. commode perscriptus et rubricis distinctus Doctoris cujusdam *Vindob. Lecturam in Librum III. Sententiarum Petri Lombardi* exhibet, in qua mihi videor *Thomae Haselbachii* manum agnoscere. Prolusionis ingressus est: *In actu presenti tria per ordinem restant facienda.* Tria haec sunt: Collationem quandam et praesertim 3ii *Sententiarum Libri* praemittere, Quaestionem quandam defendere, et singulis actum praesentem visentibus gratias referre. *Quo ad primum resumo thema in prioribus meis principiis assumptum. Pater sanctificavit et misit in mundum. Joh. 10.* Ex hoc Themate cognosci posset Autor, si subpeterent plures Codices id praeferentes. Quaestio, quam defendendam proponit, est: *Vtrum pater in diuinis suum in mundum mittendo filium ipsum decorauerit caritate infinita et omniscientie largitione*, eamque confert cum M. *Joh. Himmel* noto Theologo nostro et F. *Henrico de Colonia* O. P. qui inter annos 1424—46. septies Decanatu Facult. Theol. functus est. Lecturam denique suam a *Dist.* VIII. orditur.

Codex utrinque vestitur Membrana continente Literas *Antonii Praepositi ecclesie omnium sanctorum*